



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE BERNARDINOPOLITANAE DIOECESIS SANCTUS

BERNARDINUS SENENSIS PATRONUS PRINCIPALIS DIOECESIS

BERNARDINOPOLITANAE IN CALIFORNIA CONFIRMATUR;

BEATA VERO VIRGO MARIA, DOMINAE NOSTRAE GUADALUPENSIS

SUB TITULO, PATRONA SECUNDARIA Ad perpetuam rei memoriam. – Bernardinopolitanae dioecesis clerus atque

Christifideles amorem fervidum publicumque honorem erga praeclaram divini Redemptoris matrem Mariam et Sanctum Bernardinum Senensem semper sunt testati; hisce tamen praesertim annis maxima cum fide et pietate eos sunt venerati singulareque in eos religionis studium commonstrarunt. Postquam vero ibi nova constituta est dioecesis Bernardini Senensis nomine, probatum istum Bernardinopolitani populi morem sacrorum Antistes Venerabilis Frater Philippus Franciscus Straling libenter excepit; atque eo motus consilio ut gregem suae dicionis ad certiolem prosperitatem et florem adduceret, copiosiusque auxilium et praesidium de caelis consequeretur, electionem Sancti Bernardini Senensis presbyteri in Patronum principalem nec non Beatae Mariae Virginis sub titulo v. d. «Our Lady of Guadalupe» in Patronam secundariam apud Deum dioecesis suae rite probavit. Illam autem laudabilem electionem, postquam memoratus Praesul iure petivit ut Nos sanciremus secundum liturgicas normas, intelleximus maxime profuturam esse totius

Bernardinopolitani populi tum fidei confirmationi tum pietatis inflammationi. Quapropter ex consulto Sacrae Congregationis pro Sacramentis et Cultu Divino deque Apostolica Nostra potestate, Sanctum Bernardinum Senensem Presbyterum Patronum principalem atque Beatam Mariam Virginem sub titulo v. d. «Our Lady of Guadalupe» Patronam secundariam coram omnipotente Deo dioecesis Bernardinopolitanae perlibenter confirmamus, atque omnia simul concedimus iura et privilegia liturgica illuc spectantia, ad regulas nempe Instructionis eiusdem Sacrae Congregationis «De Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis, n. 30». Contrariis quibusvis nullo pacto obstantibus. Ceterum praecipimus ut hae Litterae Nostrae accuratissime observentur suosque effectus plenos in praesens posterumque habeant tempus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die X mensis Martii, anno MCMLXXXI, Pontificatus Nostri tertio.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* ©

Copyright 1981 - Libreria Editrice Vaticana